

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Melissa hodie qualis est ?



... *Cogitabunda* : de cultura secum
deliberat.

☞ p. 2

... *Lexicographica* : notionem
«rassismi» verbis Latinis reddere
conatur.

☞ p. 4

... *Americana* : conventum philolo-
gorum Americanorum, Latinitati
vivae partim dicatum, vobis narrat.

☞ p. 10

... *Poetica* : epitaphium recens
canit.

☞ p. 11

... *Didactica* : de Latinitate viva
in schola adhibenda tractat.

☞ p. 12

... *Antiqua* : de moribus Romano-
rum quintam symbolam proponit.

☞ p. 15

... *Et monitoria* : paulatim iam
cogitandum est de Latinitate
proxima aestate exercenda !

☞ p. 16



De diversis culturis atque de diversis «rassis»
multum agitur in hoc fasciculo.

DE CULTURA

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

Cultura est vocabulum antiquum, quod in omnibus orbis occidentalis linguis fere immutatum adhuc adhibetur. Tempore Romanorum «cultura» sive «cultus» imprimis ad agros spectabat, sed quoque ad hominum corpus animumque. Omnibus huius vocabuli usibus subiicitur notio cuiusdam laboris, quo augetur sive agrorum reditus, sive corporis validitas, sive mentis ubertas animique excellentia.

Patet tamen neque agros eodem modo coli ubique terrarum neque corpora exerceri neque animos educari. Praehistorici¹ iam discernunt quandam diversitatem culturalem ab aetate, qua longinquissimi priores nostri igne uti coeperunt, i.e. ante circiter quadringenta milia annorum. Tunc paucorum capitum greges inter se distantes venando et legendo vagabantur in regionibus, quarum diversitas effecit ut diversi usus etiam orientur. Iam aetate palaeolithica, exempli gratia, silices lapides non eodem modo caedebantur in diversis regionibus. Diversi greges non easdem feras bestias venabantur, unde ortae sunt diversae edendi consuetudines.

Ergo iam ab antiquissimis temporibus cultura non est una, sed in complures culturas dividitur, quae decursu temporum inter se magis magisque differunt.

Aetate neolithica in paucis regionibus incohata est magna mutatio culturalis; ibi enim homines gramina fera, quorum grana ad comedendum iam diu legebant, inceperunt serere et colere. Eodem fere tempore in eisdem regionibus ferae caprae, oves, apri, canes cicurabantur. Agricultura, pecoris pastio et fictilium fabricatio magnam praecellentiam contulerunt his paucis gentibus, quae eas invenerant. Nam non ubique gentium eodem tempore apparuit mutatio neolithica. Tunc non solum exstiterunt culturae variae, sed eae iam non fuerunt eiusdem ponderis. Magis etiam impares factae sunt, cum Sumerii et Aegyptii², scriptura inventa, initia posuerunt temporum historicorum.

Mutatio neolithica effecit ut gentes propter agrorum pecudumque curam fierent sedentariae. Simul multum auctae sunt earum opes et frequentia; hae gentes paulatim factae sunt populi re publica praediti.

Innumerabiles sunt mutationis neolithicae effectus, sed primus et perennis est invidentia et invidia orta apud eas gentes, quae novis inventis opibusque non fruebantur. Arma ad ferias bestias venandas primum inventa tunc adhiberi coepta sunt ad homines sedentarios aggrediendos et exspoliandos. Qui se defendere coacti moenia extruxerunt. Hoc modo simul cum bellis incohatur aemulatio inter arma, quae nocent, et arma, quae defendunt; haec emulatio variis exsuperantiae vicissitudinibus viget usque ad nostra tempora.

Ab initio aetatis historicae duas alias causas populorum diversitatis animadvertimus, linguam et religionem, quae adhuc sunt maximi momenti.

Populi re publica praediti etiam distinguuntur cultu civili. Civitates initio solum constabant ex uno oppidulo. Decursu historicorum temporum rixae inter civitates ortae sunt. Victores victis potiti sunt atque fines suos extenderunt. Historici auctores narrant quibus rebus gestis nonnullae civitates creverint valuerintque multos populos in dicionem suam redigere.

Sic ortus imperiorum magis magisque extentorum iam ante Christum natum effecit ut multae gentes confunderentur. Antea gentium dispersio singularitatem augebat. Postea motus sociologicus inverti coeptus est: numerus deorum, religionum, linguarum gradatim minutus est atque mores facti sunt inter se magis similes. Hic motus nostris temporibus tam acceleratus est propter scriptorum, verborum, imaginum ipsorumque hominum auctum commeatum, ut non pauci putent totam humanam societatem unam confusam culturam iam participare vel brevi tempore participaturam esse; hoc phaenomenum sociologicum vocant «mundializationem» culturae.

Mundus tamen hodiernus, si eum sincere consideramus, valde diversus manet. Nihil dicam de minimis culturis, quae adhuc supersunt in nonnullis remotis et parum accessibilibus orbis terrarum regionibus. Eae ineluctabiliter disperebunt simul ac iam non erunt seclusae a contagione cuiusdam culturae maioris ponderis, ut multis aliis iam antea accidit. Potius tractandum est de his paucis culturis, quae hodie



adhuc vigent in latis areis geographicis.

Latissime patet area culturae Islamicae, quae nostra maxime interest, cum iam ante multa saecula competitrix facta sit culturae Christianae. Mahometani iam in initio sui impetus valuerunt veterem Persarum culturam exstinguere atque magnam partem imperii Byzantini ceperunt, ubi praestantissimas fornaculas culturae Graeco-Christianae oppresserunt, exempli gratia in Syria et in Aegypto. Ipsa urbs Constantinopolis postea capta est et caput imperii Mahometani facta. Sic quinto decimo saeculo evanuit - res vix credibilis - illa eximia cultura Graeca, cuius fines Alexander Magnus olim extenderat usque in mediam Asiam. Graecitatis reliquiae in Europam occidentalem tunc cum nonnullis exsulibus receptae reverenter coli coeptae sunt. His reliquiis occidentales multum adiuti sunt ad suam antiquam mentis libertatem recuperandam. Quae libertas mentis eis maximo emolumento fuit ad studia scientiarum naturalium amplificanda.

Si hodiernum mundi statum consideramus, patet culturam occidentalem inter omnes eminere, sed hac tantum de causa, quod occidentales multo magis quam ceteri scientias naturales coluerunt et tantos progressus in rebus technicis fecerunt, ut opibus et armis ceteros longe superarent. Inde factum est ut sola superasset occidentalium scientia mathematica, cuius scriptura symbolica in toto orbe terrarum ab omnibus scientificis necessario adhibetur. In hac provincia iam exstat vera «mundializatio».

Dominatio scientiarum naturalium in omnibus culturis non eodem modo accepta est. Exeunte XIX saeculo Iapones primi statuerunt partem scientificam technicamque culturae occidentalis sibi assumere. Quod consilium tam bene successit, ut hodierni Iapones in his rebus iam non impares sint occidentalibus. Serius Indi et Sinenses idem consilium ceperunt, cuius boni effectus paulatim apparent.

Res aliter se habent in orbe Islamico. Ibi enim pondus religionis impedivit ne mores aptarentur culturae scientificae. Quare beneficia technica, quae nationes Mahometanae acceperunt, plerisque earum potius detrimento quam emolumento fuerunt. Immoderatum enim incolarum incrementum impedit ne vitae condiciones meliores fiant; manent paupertas atque ignorantia, unde oriuntur invidia et hostilitas. Multi decepti se confugiunt in strictum usum religionis, quamquam eius praecepta nostris temporibus iam non sunt apta. Haec retrogradatio compensativa nomen habet «fundamentalismi». Hoc quidem solis nationibus Mahometanis noceret, nisi eorum nimia superfluentis populi frequentia in vicinas prosperasque civitates invaderet ibique suos

ineptos mores servare vellet.

Quid de cultura nationum occidentalium, cuius praestantia nititur in mentis libertate? Haec libertas minui videtur; libertas enim hominis parum edocti solum est libertatis species. Infeliciter in Occidente democratia magis magisque facta est demagogia, cuius effectus inter alios est ruina institutionis scholaris. Praeterea in Europa, eodem tempore quo res oeconomica et pecuniaria coalescit, augetur «Balcanizatio», quae dicitur ad significandam crescentem divisionem in feuda. Politici, qui hac divisione maxime fruuntur, potius singularitatibus regionalibus favent quam fundamentis culturae Europaeae. Huius modi divisio gignit periculosam debilitatem; itaque non mirum est quod praestantia culturae occidentalis nunc temporis fere a solis Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus pendet.

*
* *

Ad concludendum, recordemur et palam dicere audeamus oportet culturam Graeco-Romanam magis quam ceterae ad ipsum hominem spectare, cum singulorum hominum personam respexerit corpusque humanum magnificaverit. Nolumus solos successus technicos aestimare, sed eorum fontes venerari pergamus. ☺

ADNOTATIONES

- ¹ De hac re lege H. de Lumley, *L'Homme premier. Préhistoire, Evolution, Culture*, Parisiis, ed. Odile Jacob, 1998.
- ² Recentissime archaeologi Germani, qui Abydi in superiore Aegypto effossiones faciunt, in sepulcro regis Scorpionis I invenerunt plus quam trecentas tabulas fictiles, ubi primordia scripturae hieroglyphicae iam 3.300 annis ante Christum natum apparent.

DE «RASSISMO», ID EST DE RE DEQUE VERBO

SCRIPSIT ROBERTUS DEPRez

In superiore fasciculo (n° 87 p. 2) aliquo loco scriptum est verbum, quod est «rassismus». Robertus Deprez de hoc verbo et de ipsa rei notione, quae antiquitus non exstabat, suas cogitationes et investigationes hic proponit.

Haud paucae difficultates oriuntur in apto verbo inveniendi, ut Latine reddantur verba vulgaria quae ad discrimen ethnicum hodie spectant, ut e.g. verbum Francogallicum *racisme*, necnon alia verba inde derivata (e.g. Fr. *raciste*); omnes Latinitatis cultores, qui res hodiernas lingua sua tractare solent, difficultates illas experti sunt. In hac symbola nullam certe solutionem definitivam, sed non pauca elementa utilia ad problema hoc quam aptissime solvendum afferre conabimur.

DE VERBO VULGARI «RASSAE»

Verbum *rassae* ad peculiare genus hominum significandum, physicis criteriis distinctum (e.g. cutis colore, capillorum aspectu, statura...), hodie in plerisque Europaeis linguis fere eadem forma auditur: in Italica *razza*, in Francogallica *race*, in Hispanica seu Castellana *raza*, in Lusitana sive Portugalia *raça*, in Anglica *race*, in Theodisca *Rasse*, in Nederlandica *ras* (mirabiliter generis neutri!), in Russica *rasa*; in Graeca, pro consuetudine illius linguae, iuxta verbum «classicum» quod est φυλή exstat verbum «populare» q.e. ράτσα. De origine huius verbi paene universalis, duo lexica etymologica inspiciamus:

A. DAUZAT, J. DUBOIS, H. MITTERAND: Nouveau Dictionnaire étymologique et historique, Librairie Larousse, Paris:

race 1498, Commynes, de l'ital. *razza*, du lat. *ratio* (avec changement de terminaison), empl. au Vie s. avec le sens de «espèce d'animaux ou de fruits». / **racé** fin XIXe s. / **racial** 1911, E. Seillère. / **racisme**, **raciste** 1932, Lar. / **antiracisme**, **antiraciste** v. 1950.

J. COROMINAS: Breve Diccionario etimológico de la lengua castellana, Editorial Gredos, S.A.:

RAZA 'casta, grupo racial', 1438, raro hasta fin S. XVI. Probte. forma semiculta del lat. *ratio* ('calculo,

cuenta') partiendo de su sentido ya clásico de 'indole, modalidad, especie', de donde se pasó a 'naturaleza y calidad de la gente' y 'raza'. En castellano debió de tomarse de otras lenguas romances, donde es más antiguo (cat., h. 1400; oc., h. 1200; it., S. XIV), y al entrar vino a confundirse con el viejo y castizo *raça* 'raleza o defecto en el paño', 'defecto, culpa', 1335, de otra etimología (**RADIA*, colectivo de *RADIUS* 'raza, raya'): de ahí que en su sentido racial el vocable tome en castellano en el S. XVI casi siempre un matiz desfavorable.

DERIV. *Racial*, 1925, tom. del ingl. *racial*.

Constat igitur verbum illud primum, ut videtur, in lingua Italica¹ apparuisse (in Occitanica² secundum Iohannem Corominas), e forma populari atque corrupta verbi Latini *rationis* (casu nominativo, sensu derivato, fortasse per confusionem cum *radio/radia*) confectum esse, atque deinde in omnes fere linguas promanasse; verba derivata multo recentius (saeculo XX ineunte) inde nata esse, atque similiter de lingua in linguam diffusa esse, quae sunt: *razziale*, *razzismo*, *razzista*, *racial*, *racisme*, *raciste*, *Rassenhaß*, *Rassist*, *rassistisch*, etc.

DE «RASSISMI» NOTIONIS HISTORIA

Difficile est verbum aptum in thesauro linguae Latinae classicae invenire, quod simpliciter atque dilucide notionem *rassismi* exprimat, quia notio illa quodammodo temporibus nostris specifica est. Hoc primo aspectu paradoxale videtur: omnibus enim temporibus, et iam antiquitus, inimicitiae et praeiudicia inter nationes variasque stirpes hominum fuerunt. Exemplum talis habitus, mirum in modum, et in Novo Testamento reperitur, id est in epistula ad Titum (quam plerique exegetae hodierni putant non a Paulo apostolo ipso, sed a discipulo quodam eius scriptam esse), ubi de Cretensibus agitur:

Tit1, 12-13: εἶπέν τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης· κρήτες αἰεὶ ψεύσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, ἡ μαρτυρία αὐτῆ ἐστὶν ἀληθής. δι' ἣν αἰτίαν ἔλεγε αὐτοὺς ἀποτόμως, ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει.


Latine (NV): Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta [i.e. *Epimenides poeta*]: *Cretenses sem-*



per mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Testimonium hoc verum est [!]. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide.

Quid hodie diceremus si, exempli gratia, Iohannes Paulus II in litteris encyclicis scriberet incolas cuiusdam nationis *malas bestias* esse? Quod talia verba in Sacram Scripturam recepta sunt, perspicue ostendit ea antiquitus non similiter atque hodie percepta esse; verum enim *rassismum*, ut infra demonstrabitur, non exprimunt.

Rassismus verus doctrina est quae affirmat gradus superioritatis inferioritatisque esse inter stirpes hominum, non propter causas externas atque acceptas, sed propter indolem ipsam eius stirpis, e qua unusquisque homo nascitur. Haec est magna differentia inter *rassismum* «modernum» et antiquas formas discriminationis phyleticae: antiquitus *barbarus*, exempli gratia, dicebatur is qui lingua peregrina utebatur, cui cultus civilis alienus erat, alii mores, etc. Criteria illa non ab ipsa stirpe vel gente intrinsecus pendebant, sed ab educatione quae hominibus data erat: cum auctor epistulae ad Titum dicit Cretenses esse mendaces et quae sequuntur, verisimiliter non putat illos tales esse necessario propter «patrimonium geneticum», ut hodie diceremus (quae notio tunc ignota erat!), sed propter mores, qui rectiore educatione corrigi possunt: *increpa illos dure, ut sani sint in fide*. In libro autem geographico scholastico, circa annum 1940 in Belgica edito, legi quondam sententiam hanc (in capitulo *de stirpibus humanis* praetitulato): *la race blanche est la plus intelligente*; litteraliter: *stirps alba ingeniosissima est* [sc. omnium], id est: *homines albicolores, quia albicolores nati sunt, et propter nullam aliam causam, ingeniosiores sunt quibuslibet aliis hominibus!* Mihi venit in mentem narratiunculae, quam olim de Leopoldo Sedar Senghor audivi; nescio utrum vera sit necne, sed vera esse potuit. Iam pridem, cum Senegalia nondum sui iuris facta esset, Leopoldus



ille in nave erat quae viatores ex Africa in Francogalliam transportabat. Francogallus quidam eum blande allocutus est, lingua simpliciore qua coloni Francogalli cum Africanis tunc utebantur: *toi y en a venir chercher travail en France?* («tu ire opus in Francogallia quaerere?»); Leopoldus respondit: *non, missié, moi y en a déjà travail en France: moi y en a professeur Sorbonne* («minime, domne, ego iam opus in Francogallia habere: ego professor in [universitate studiorum] Sorbonnensi esse»)! Ut *rassismus* ille temporibus nostris nasceretur cresceretque, duo elementa historiae XIX saeculi maximopere adiuverunt: primum fuit

colonialismus, quo factum est ut Europaei convenirent homines quibus cultus humanus «inferior» erat, vel ita percipiebatur; immo opus erat ideologia quae incepta colonialismi iustificaret, verasque causas eius oeconomicas occultaret; quid enim factum esset miserrimis illis nigris, in silvis suis derelictis, morbis aliisque calamitatibus oppressis, nisi nos boni homines albicolores beneficia nostra ad eos attulissemus? Noli ridere, optime lector: et hodie, anno 1999, non pauci Belgae adhuc credunt - non credere simulant, sed vere credunt - regem Leopoldum II (1835-1909) Congo potitum esse tantummodo ut indigenas a lenonibus Arabibus liberaret! Non enim culpa eius fuit, si casu accidit ut terra illa - in quam diligentes exploratores antea miserat - materiis pretiosissimis cuiusque generis abundaret...

Alterum elementum, fortasse adhuc maioris momenti, ex evolutione scientiarum constitit: ante tempus recens homines nihil sciebant de genetica, id est de modo quo characteres biologici de generatione in alteram transmittuntur. Gregorius Mendel (1822-1884), qui fuit monachus in Moravia (tunc imperii Austriaci parte), experimentis pisis aliisque plantis factis, primus leges generales illius transmissionis revelavit, atque monstravit characteres *dominantes* et characteres *recessivos* in hereditate esse. Vilhelmus von Waldeyer (1836-1921) chromosomata, quae virgulae sunt in nucleo omnium cellularum viventium, descripsit, et Thomas Hunt Morgan (1866-1945) demonstravit ea chromosomata gena portare, quae causa sunt hereditatis biologicae. Eodem tempore philologi historici archaeologice investigabant origines communes populorum qui Indoeuropaei dicuntur: omnes tunc putabant Indoeuropaeos in origine fuisse strenuissimum populum, qui bello ceteras gentes subiecerat, deinde cultum suum linguamque suam eis imposuerat; unde «superioritas» illius populi clare patebat³! Auctor Francogallus Iosephus Arthurus de Gobineau anno 1855 librum edidit cui titulus erat: *Essai sur l'Inégalité des Races humaines*. In hoc libro exposuit varias stirpes humanas naturaliter inaequales esse, atque stirpem Indoeuropaeam - sive, ut tunc dicebatur, Arianam⁴ - indole sua supremam omnium esse. Hac de causa conditor *rassismi* moderni non sine causa vocatus est. Mirum in modum, sententiae eius non multum in Francogallia celebratae sunt, sed multo magis in Germania: multi enim docti homines putabant Germanos «purissimos» esse filios stirpis Arianae, id est, eos qui minus quam ceteri cum aliis stirpibus decursu historiae «contaminati» erant. Coniunctio illorum propositorum cum veteribus praeiudiciis religiosis erga Iudaeos genuit *antisemitismum*. Iudaei «stirps



inferior» erant, sed in medio Arianorum, «stirpis superioris», vivebant; ergo periculum maximum «puritati stirpis» erant. Idem dictum est, propter eandem causam, de Tsiganis sive (ut etiam Latine appellantur) Hamaxobiis. Restabat, si ita dicere licet, ut aliquis rationes illas insanas in facta converteret: hoc perpetravit, Adolfo Hitler duce, regimen nationale socialisticum⁵. Tunc aliud verbum novum, et terribile quidem, in vocabulario humano apparuit: *genocidium*, quo significatur totius gentis trucidatio⁶. Tragoedia illa omnibus nota est, etsi nunc nonnulli homines - horribile dictu! - incredibili cum arrogantia eam negare volunt; talis negatio publica *revisionismus* sive *negationismus* dicitur et nunc in multis Europaeis nationibus legibus punitur.

Altero bello mundano peracto et regimine nationali socialistico interempto, *rassismus* in orbe terrarum non decrevit, et alia genocidia atrocissima facta sunt, ut exempli gratia in Ruanda anno 1994 contra gentem Tutsianam. Attamen - et haec magna est differentia - *rassismus* nunc nulla iustificatione scientifica vel potius pseudo-scientifica iam frui potest. Scientiae enim progredi perrexerunt: biologi medicique compererunt multos esse characteres geneticos, qui cum aspectu visibili variorum hominum non congruunt: exempli gratia, si characterem sanguineum respicimus, qui *factor Rhesus* dicitur, maior est differentia inter Vascones et Parisios quam inter eosdem Parisios et Africanos!

Post annum 1950 inventa est structura moleculae acidi desoxyribonucleici (litteris compendiariis *ADN* sive more Anglico *DNA*)⁷. Haec molecula ingens tamquam duplex cochlea est, quae in nucleo omnium cellularum viventium multipliciter contorta atque complicata latet. Constat e singulis elementis, quorum quattuor tantum formae diversae exstant, basi chemica distinctae: elementa illa sunt «litterae» quibus *codex geneticus*, ut aiunt, scriptus est. Multae inquisitiones factae sunt in structuram geneticam variorum populorum, simul atque plures pluresque reliquiae fossiles veterum hominum humanoidumque inventae sunt. Nunc, exempli gratia, possumus comparare *ADN* hominis Neanderthalensis cum *ADN* hominis moderni! Omnibus ex his studiis constat nullam esse «stirpem puram» atque omnes homines hodiernos eiusdem generis esse. Notio ipsa *rassae* seu stirpis humanae hominibus doctis hodie nihil iam significat.

Sed de alia inventionem recentissima nonnulla verba dicenda sunt: in cellulis nostris sunt organula *mitochondria* nominata, quorum munus est energiam cellulae suppeditare. *Mitochondria* habent *ADN* proprium, quod eismetipsis tantum

utile est; itaque ab *ADN* nuclei cellulae omnino distinguitur, et nullas partes agit in patrimonio genetico personae humanae constituendo. Praeterea maxima peculiaritas *ADN* mitochondrialis in eo est, quod unusquisque homo id accipit tantummodo a matre sua, cum *ADN* nucleare, quod hereditatem geneticam exprimit, et a matre et a patre ex aequo accipiat. Ex studiis quae de *ADN* mitochondriali facta sunt, apparet omnes homines, qui nunc orbem terrarum incolunt, unam atque eandem «atavam» habuisse, quam biologi iocose *Evam* nuncupaverunt. Haec «matrona» non est mythos, sed vere vixit, probabiliter in Africa ante plus centum milia annorum. Certe difficile est credere unam solam mulierem tunc in terris vixisse, sed propter causam ignotam omnium ceterarum mulierum proles non supravixit usque ad hodiernum tempus. Fortasse futura studia nos amplius de hac re docebunt. Utrum domina illa venerabilis unum an plures maritos habuerit - nam et venerabiles mulieres non necessario perfectae sunt -, id est, num omnes homines hodierni eundem atavam masculinum habeant necne, nemo dicere potest, cum hoc in *ADN* mitochondriali legi non possit. Nihil novi sub sole; dubitatio haec initium dici potest longissimae traditionis, quae hodie apud homines omnium gentium adhuc viget! Quidquid id est, hoc iamiam affirmare licet: **fraternitas totius generis humani non est mythos neque utopia neque idealismi fructus, sed realitas scientificè comprobata.**

Nunc hoc quoque dicamus oportet: his ultimis annis, verbum *rassismi* in multis linguis paulatim sensu latiore usurpatum est, ita ut omnem inimicitiam in gregem globumve hominum significaret. In lingua Francogallica, exempli gratia, nunc loquuntur de *rassismo* erga adulescentes (*racisme antijeunes*), de *rassismo* erga senes (*racisme antivieux*), de *rassismo* erga magistros (*racisme antiprofs*), et etiam... de *rassismo* erga medicos (*racisme antimédecins*), qui mihi videtur esse omnium pessimus!⁸ Tales usus quasi metaphoricis verbi *rassismi* fortasse non sunt ita probandi (nam notionem gravem, ut ita dicam, «terunt» eamque minus perceptibilem faciunt), sed pars sunt consuetudinum hodiernarum, atque eorum rationem habere debemus in disputatione nostra de verbo *rassismi* quam optime convertendo. Praeterea tales usus latiores magna ex parte inevitabiles sunt, cum haud semper facile sit distinguere ubi sit vere *rassismus* et ubi non sit. Exempli gratia, inimicitia quae in Francogallia et Belgica contra advenas Africanos septentrionales viget, *rassismus* saepe dicitur; estne hoc verum annon? Primum, maxima causa videtur esse religiosa culturalisque: multi incolae nostri aegre ferunt advenas illos mores islamicos in Europam



occidentalem importare. Discriminatio religiosa melior non est quam discriminatio phyletica, et ipsa quoque in historia iam causa fuit flagitiorum non paucorum; attamen, a vero *rassismo* discernatur oportet. Secundum, nemo ignorare potest tales inimicitias ante triginta annos etiam viguisse contra advenas Europaeos meridionales, qui ad carbonem fossilem extrahendum ad nos venerant; illi autem neque phyletice neque religiose a civibus nostris differebant; talis inimicitia, quae potius e causis oeconomicis oritur, rectius *xenophobia* appellanda est. Sed res illae semper intricatiores prima opinione sunt: exempli gratia, causae religiosae possunt alia problemata abscondere: politica (ut in Hibernia septentrionali), sed etiam phyletica: num Europaei occidentales tantum timerent «invasionem islamicam» nisi plerique asseclae religionis illius peregrini essent? Ad tales quaestiones non possumus simpliciter neque facile respondere; concludamus oportet usum verbi *rassismi* ad discriminations quorum aspectus multiplices complexique sunt significandas non omnino illegitimum esse, immo fortasse necessarium.

DE RE AD VERBUM

Cur haec omnia hucusque enarravimus? Ut omnes lectores sibi conscii sint verbum, quod ad res tam graves complexasque pertinet, neque leviter neque simpliciter converti posse!

Ostendimus primum *rassismum* proprie dictum rem specificam esse temporis nostri, ideoque verbo apto et accurato designandam; deinde verbum ipsum *rassismi* in plerisque linguis hodie sensu latiore usurpari, nonnumquam illegitime, nonnumquam legitime et necessario, ad formas multiplices discriminationis significandas.

Quae solutiones iam propositae sunt, et quid censendum est de eis? Primum videamus quid lexica Latina recentiora afferant:

C. HELFER, *Lexicon Auxiliare*, Societas Latina 1991:

Rasse <biol.> stirps, stirpis f. [AAS67,280]; *phyle, es f. [VL32/73,37]; seminium, i n. [VARRO rust.2,1,14]

Rassendikriminierung discriminatio *phyletica [Ei.VL33/73,11-12]

Rassenhaß rabies ethnica [Qu.1865.392]; *phyleticum odium [Eg.77,133]

Rassenmischung mixtura generum [LeB.67,601]

rassisch *phyleticus, -a, -um [VL32/73,37]

Lexicon Recentis Latinitatis, Libraria Editoria Vaticana:

razza genus, eris n. **Syn:** progenies; proles; suboles; stirps.

razziale phyleticus, a, um; cfr Graece φυλετικός.

Syn: gentilis, genticus.

razziale (odio) odium phyleticum, n., cfr *Lat.*41,1993,356.



*Michael Angelus Evam fortasse aliter depinxisset, si de ADN mitochondriali aliquod audivisset...
(a sinistris: capella Sixtina; a dextris: opus pictoris c.n. Burian)*

razzismo elatio phyletica discriminatrix, f. **Syn:** propriae stirpis elatio.

razzista 1 propriam stirpem extollens, m. **2** phyleticus osor, m. **Syn:** allophylorum osor.

razzistico ad elationem phyleticam pertinens.

Neutrum lexicon proponit verbum vere novum, nisi nomen quod est *phyle* et adiectivum inde derivatum *phyleticus, a, um*. Haec vero verba iam in lingua Graeca classica usurpabantur. *Rassismus* locutionibus exprimitur, quarum aptissima videtur esse *odium phyleticum*, quae perspicua est et non nimis longa. Attamen locutio haec duo incommoda praecipua secum fert:

1) sicut omnes tales locutiones, quae inducuntur quotiescumque verbum Latinum deest ad rem novam significandam, *descriptiva* est; ergo non iam bene convenit usui derivato vel metaphorico; quomodo, exempli gratia, convertemus locutionem Francogallicam quae est *racisme antijeunes*? *Oodium phyleticum antijuvenile*? Absurdum est!

2) si locutio ipsa pragmatica est atque, ut supra diximus, non nimis longa, idem dici non potest de locutionibus derivatis quae reddunt *rassistam, rassisticum*, etc.

Omnibus ex his causis, Latini locutores scriptoresque iamdudum necessitatem percipiunt verbi vere novi usurpandi, id est verbi vulgaris latinizandi. In colloquiis Latinis privatis saepe audiuntur talia verba, exempli gratia *racismus, ras(s)ismus, racista*, etc. Certe verba vulgaris latinizata nunquam probanda sunt, si puritatem linguae respicimus. Idem est de verbis quae sunt *elitismus, turismus*, etc. Sed quis inter Latinos assiduos locutores potest affirmare se nunquam tali verbo usum esse? Hoc est problema: verba illa respuenda sunt pro Latinitate, inevitabilia pro necessitate. Dico: pro necessitate, non autem pro facilitate, ut detractores saepe contendunt, et addo: pro perspicuitate et honestate, nam, ut supra diximus, notio ipsa *rassismi* nonnunquam finibus incertis cernitur et locutio descriptiva potest restrictior esse quam ut verum sensum verbi vulgaris non paululum detorqueat. Scriptores Vaticani ipsi non semper potuerunt necessitatem hanc avertere: exempli gratia, in constitutione pastoralis *Gaudium et Spes* Sacrosancti Concilii Vaticani II (anno 1965 promulgata), adiectivum *racialis*, e apparet, inter signa citationis (*) scriptum:

GS4: etenim acres dissensiones politicae, sociales, oeconomicae, «raciales» et ideologicae adhuc perseverant...

GS82: Nihil eis [= populorum moderatoribus] prodest ut paci aedificandae instent, quamdiu

hostilitatis, contemptus et diffidentiae sensus, «racialia» odia necnon obstinatae ideologiae, homines dividunt atque inter se opponunt.

Fortasse in his exemplis adiectivum *phyleticus, a, um* conveniret, sed scriptores noluerunt quicquam ambiguum ibi esse. Animadvertamus oportet scripturam per *c* omnino non idoneam iam esse, cum hodie plures pluresque Latinitatis cultores pronuntiatione restituta utantur. Propter etymologiam a *ratione*, littera *t* usurpari posset, sed parum utile videtur etymologiam hanc memorare in verbo pronuntiando cum *rassa, rassismus* a significatione verbi *rationis* inusitata orientur, et modo inconsueto (a casu nominativo) formata sint, fortasse propter confusionem cum alio verbo (cfr supra). Sententia mea, si verbum vulgare propter nullam causam nisi meram necessitatem usurpamus, quod, quidquid facimus, nunquam verum verbum Latinum erit, multo facilius et cohaerentius est servare pronuntiatum vulgarem *s* ne consuetudines locutorum et audientium turbentur. Unum aut duo *s*? Non videtur omnino necessarium *s* duplicare, cum in plerisque linguis sonus *s* simplex sit. Sed in nonnullis (et praecipue in Italica, in qua verbum dicitur primum apparuisse) sonus duplex auditur, et si *ss* scribimus, nullum est periculum quin *z* pronuntietur (nam non pauci Latinitatis cultores nondum plane assuefacti sunt pronuntiationi restituae: hoc est dolendum sed ignorari non potest). Revera in tali re, cum agatur de verbo non vere Latino sed «semibarbarico», vanum mihi videtur de regula stricta cavillari; unusquisque sensum suum sequatur. In recenti fasciculo *Melissae* (87, p.2, §2), moderator noster Gaius Licoppe scripsit *rasimum culturalem*, equidem in hac symbola malui scribere *rassimum*; non est causa cur *rassistae antimedicales* (cfr supra) iterum affirmant duos medicos inter se nunquam consentire posse.

AD CONCLUDENDUM

Ad summam hoc dicere licet:

- in scriptis politioribus et acroasisibus sollemnioribus, ad *rassimum* significandum, adhibeamus oportet *odium phyleticum* vel aliam locutionem similiter aptam;

- in colloquiis et in scriptis «technicis» ubi agitur de rebus temporis nostri, non ineptum videtur uti verbo vulgari latinizato *ras(s)ismi*, dummodo omnino necessarium sit perspicuitatis aut prudentiae causa⁹, et conscii simus hoc verbum nunquam pro vero verbo Latino haberi posse; hac de causa semper litteris obliquis vel inter signa citationis scribatur oportet.



Fortasse non omnes consentient cum his propositis, aliaque afferent; utile semper erit de argumento tam magni momenti, quod facile non est, amplius disputare. Haec autem pauca lectoribus proponere volui.

Ut finem faciam, hoc quoque dicere cupio: lingua Latina, quis hoc negaret, instrumentum perutile est contra progressionem *rassismi*, et praecipue nationalismi, qui saepe facies politica *rassismi* est. Cum enim linguam nostram colimus, radices nostras simul atque diversitatem nostram amare discimus. Et verus humanista, quo plura scit, eo magis se pleraque ignorare intellegit; ita crescit humilitas eius unde tolerantia nascitur. Si homines politici nostri, qui dicunt se concordiae favere, discriminationi, intolerantiae *rassismo*que adversari (sed inimicitias inter cives excitant quotiescumque discordia eis prodest, ut in Belgica bene percipitur) hoc intellegerent, linguam Latinam in scholis restituerent, quae remedium multo melius esset quam «praelectiones de civitate responsali» quas gloriae suae instituendas curant. Vae! Loquantur illi, agamus nos; unicuique suum. Contra *rassismum* totis viribus pugnantes, fortasse poterimus nodum nostrum lexicographicum quam optime solvere; cum enim res evanuerit, verbo non iam indigebimus!



ANNOTATIONES

- 1 Verbum Italicum *razza* pronuntiatur *rattsa*. Nihil commune habet cum altero verbo *razza*, quod *raddza* pronuntiatur: hoc enim significat *raiam*, quae piscis est (Angl. *rayfish*, Theod. *Roche*).
- 2 lingua Occitanica ea est, quae in Gallia meridionali usurpatur; divisa est in multas dialectos, e quibus celeberrima Provincialis est.
- 3 Imago quasi mythica bellatorum Indoeuropaeorum, qui vi armorum linguam suam cultumque suum imposuissent, hodie videtur magna ex parte falsa esse: multi enim historici archaeologique nunc putant Indoeuropeos pacificos agricolas fuisse et diffusionem linguarum Indoeuropaeorum simul atque extensionem agri culturae factam esse.
- 4 Antiquitus gens Arianorum dicitur Iraniam et Indiam septentrionalem incoluisse; nomen eorum originem ducit a vetere verbo Sanscritico quod *nobilem* significat. Hac de causa sectatores doctrinae superioritatis stirpis Indoeuropaeae eo nomine usi sunt ad totam stirpem designandam. Nihil commune habet

cum *Arianis* per *i* longum, qui Christiani haeretici fuerunt, et quorum nomen derivatum est ab Ario (Ἀρείου), sacerdote Alexandrino (± 256-336).

- 5 Iterum iterumque dicere oportet nullam esse «culpam peculiarem» populi Germanici neque regimen nazisticum originem duxisse ab «indole Germanica», ut nonnulli - qui ita *rassistas* se praebent! - adhuc stulte affirmant. Ut enarravimus, proposita insana de «superioritate stirpis Arianae» extra Germaniam nata sunt (in Francogallia!) atque in multas nationes diffusa. Sed propter varias causas historicas in Germania (quae multo post ceteras nationes Europaeas unitatem suam atque «identitatem» consecuta est) proposita illa magis creverunt atque ad aedificationem regiminis nazistici duxerunt. Quod, si condiciones historicae aliae fuissent, probabiliter in qualibet alia natione accidere potuisset. Ceterum extremistae, qui hodie tale regimen resuscitare in animo habent, non plures sunt in Germania quam alibi, immo fortasse pauciores.
- 6 Verbum genocidii, ut videtur, primum apparuit in sermone Anglico (*genocide*), in America, anno 1944 (cfr Dauzat *et al.*, *op. cit.*, s.v. *génocide*). Applicatum est postea modo retrospectivo ad internecionem Armeniorum in Turcia inter primum bellum mundanum perpetrata (animadvertendum est nullam auctoritatem publicam Turcicam usque ad hodiernum diem veritatem genocidii illius agnoscere voluisse).
- 7 Pro structura moleculae ADN inventa, praemio Nobeliano donati sunt anno 1962 biologi Britanni Wilkins et Crick et Americanus Watson. Quis autem maiores partes egisset in inquisitionibus operandis, argumentum fuit multarum controversiarum, quas hic non enarrabimus, cum nihil pertineant ad rem nostram.
- 8 Adnotatio editorum: divinate, quid sit munus auctoris huius symbolae?
- 9 Prudentiae sive honestatis causa: hoc maxime accidit in textibus e sermone vulgari in Latinum convertendis, si verbum vulgare *rassismi* latiore sensu adhibetur; puritas sermonis semper colenda est, sed in rebus illis, puritatis significatio nunquam cedere potest.



CONVENTUS ASSOCIATIONIS PHILOLOGICAE AMERICANAE

RELATUS A THOMA PEKKANEN

Associatio Philologica Americana (APA = American Philological Association), anno 1869 condita, est principalis in America septentrionali societas studiis classicis promovendis. Plerique socii sunt professores, magistri aliive praeceptores, qui in universitatibus et collegiis Americanis linguas classicas docent, sed intersunt etiam multi magistri lyceorum scholarumque fundamentalium et scholares peregrini aliique cultores studiorum classicorum. Numerus sociorum est hodie circiter 1500.

APA quinque divisiones maiores habet. Divisio educativa actusitates ad institutionem linguarum classicarum pertinentes coordinat, d. programmatis constituendis conventus anniversarios convocandos curat, d. editorialis divulgat acta annualia, duas monographiarum series et seriem librorum textualium, d. investigationum coordinat investigationes ad studia classica pertinentes, d. professionalis vigilat, ut statutum de ethica professionali observetur.

Conventus anni 1998, numero iam centesimus tricesimus, diebus 27-30 mensis Decembris in urbe Washington habitus est. Professor Terentius Tunberg, primus motor Americanus vivae Latinitatis, efficere potuerat, ut in hoc conventu una sectio Latinitati novissimae dedicaretur, quod numquam antea factum erat. Iam inter conventum a. 1997 in Finnia habitum mihi de hoc incepto narraverat et rogaverat, ut de rebus Kalevalanis Washingtoniae acroasim facerem.

Tempus conventus mihi fuit peropportunum, nam anno 1999, quo anniversarium est centesimum quinquagesimum Kalevalae a. 1849 secundum editae, epopaea Finnorum nationalis lectionibus, seminariis, colloquiis expositionibusque non tantum in Finnia sed in multis aliis quoque terris instituendis commemoratur. Itaque acroasis Washingtoniae anno vergente facienda velut initium aut inauguratio anniversarii Kalevalani dici potuit.

Propter successum, quem Nuntii Latini Radiophonici ubique invenerunt, maiores magistratus Finnorum facti sunt vivae Latinitatis fautores. Itaque summa cum fiducia et ministrum

educationis Olli-Pekka Heinonen et summum praefectum Radiophoniae Finnicae Generalis Arne Wessberg adii et, cum causam itineris exposuissem, non tantum viaticum sed etiam copiosa apophoreta collegis Americanis portanda ab utroque accepi. Nam Radiophonia Finnica Generalis 700 exemplaria videocasetae «Vinculum amicitiae» systemate Americano facienda curavit, Ministerium Educationis 1500 volumina Kalevalae Latinae aut Nuntiorum Latinorum donavit. Quae omnia temperi in Americam praemissa sunt, ut inter conventum participibus gratis distribuerentur.

Die 28.12. multo mane domo profectus, Londinii aliquot horas moratus, cum aeroplanum propter tempestatem et ventum adversum iter solito lentius fecisset, Washingtoniam demum vespere facto perveni. Locus conventus erat lautissimum deversorium Marriott Wardman Park Hotel, quod ab aéroportu internationali circiter 40 chiliometra distans prope hortum zoologicum in regione urbis septentrionali iacet.

Sessiones lectionibus legendis in programmate erant decem. Singulae sessiones divisae erant in 6-8 sectiones, quarum numerus totalis erat 73. Acroases in singulis sectionibus eisdem horis factae sunt, ut participes ex 6-8 argumentis potestatem sibi gratissimum eligendi haberent. Sectio neolatina, numero quadragessimus sextus, postmeridianis horis die Martis 29.12. in auditorio nomine Marshall locum habuit. Praesidebat Terentius Tunberg. Fuimus tres oratores Latini: John McMahon, «De Christiano Wedstedio poeta Latino carminibusque eius»; Theodoricus (Dirk) Sacré, «Titanicae interitus sive de poetis quibusdam Latinis qui naufragium illud luctuosum cecinerunt», T. Pekkanen, «De Kalevala, carmine epico Finnorum Latine reddito». Post acroases Latinas Michele V. Ronnick textum Anglicum «Concerning Nathaniel Hawthorne's Latin Composition De patribus conscriptis Romanorum» legit. Singulis tempus vicenarum minutarum reservatum erat. Auditores non erant frequentissimi, cum eadem hora lectiones in septem aliis sectionibus fierent, tamen satis numerosi, inter quos Annula (Nancy) Llewellyn-




Menn Californiana, quae me in diapositivis demonstrandis amabiliter adiuvit. Illa pristina praeses et hodierna arcaria est societatis S.A.L.V.I, de qua lectores *Melissae* in fasciculo numero 85 legere potuerunt. Socius honorarius societatis mense Septembri 1998 factus in eius rei testimonium sollemne diploma ab Annula inter conventum accepi.

Eodem die hora sexta p.m. facta est sessio plenaria, in quam John Marincola, director executivus societatis APA me invitaverat, ut salutationem a ministro Olli-Pekka Heinonen scriptam recitarem. Quod libenter feci, sed epistula ministri perlecta dubitare coepi, an auditores textum Latinum, quem quam fieri potuit clarissime recitaveram, omnino intellexissent. Versionem epistulae Anglicam paratam quidem habebam, sed cum omnes philologi classici essent, eam legere omisi. In eadem sessione plenaria lecta est a praeside Davide Konstan salutatio Anglica, quam praefectus radiophonicus Arne Wessberg in conventum miserat.

Quia plerique socii una cum suis familiaribus Washingtoniam venerant, in conventu circiter tria milia hominum interfuisse dicebantur. Cauponae et thermopolia usque erant frequentissima, in sessionibus, in quas inspexi, rariores videbantur auscultatores. At ita fit in plerisque fere coetibus neque mea quidem sententia magnum damnum est. Maioris momenti utiliusque est collegas et amicos ex diversis orbis partibus congressos convenire quam acroases, saepe pessime praeparatas et male recitatas auscultare. In conventu Washingtoniensi veteres amicos Americanos rursus gaudens conveni, novos amicos inveni. Comites praecipui mihi erant, praeter Terentium cum coniuge Guenevera, Ruffilla O'Neill

et David Morgan, qui Martis die vesperi in cauponam Aethiopicam nos duxerunt, ubi more Africano cenam non cultellis et fusciniulis sed digitis adhibitis sumpsimus.

Die Mercurii Terentius alique amici Latinistae conventu relicto domum reverterunt, nam vigilia novi anni imminerebat, quam homines cum familiaribus solent celebrare. Mecum Washingtoniae mansit David Morgan, qui in illa urbe diu versatus mihi eius mirabilia ostenderet. Unius diei spatio permulta vidi: Capitolium cum utraque camera parlamenti Americani, Aedes Albas, Museum aeronauticum et spatiale, deversorium illud Watergate, aliaque. Vesperi vecti sumus in urbis regionem Georgetown nomine, ubi lautissimae sunt tabernae mercatorum, in quibus senatores Americani amicibus coniugibusve vestimenta aliaque dona emere dicuntur. Suasu Davidis ibi camisiam elegantissimam ex lana Casmiriensi factam emi, quam pro strena coniugi darem. Diem feliciter actam in eiusdem regionis caupona Italica cum vino et pasta sicca more meretricis praeparata clausimus. Quamvis proximae essent tabernae saltatoriae visu dignae, iam ambulationibus fatigati in deversorium revertimus. Ibi vigiliam novi anni vigilavi, Kalendis Ianuariis eadem via, qua veneram, aeroplano Londinii mutato domum redii.

Iucundissima mansit memoria itineris Americani, quod numquam antea feceram. Latinitas viva iam nunc strenuos ibi habet promotores, fautores amicosque neque dubium est, quin eorum numerus seminariis Lexintoniensibus efficientibus (non opere philologorum translaticiorum, e quibus APA maximam partem constare videtur) brevi multiplicetur. 

EPITAPHIUM SEMIRAE ADAMU¹

PEPIGIT ALANUS VAN DIEVOET BRUXELLENSIS

HIC NON SOLA IACES TECUM SPES FALSA RECUMBIT.
NUNC SCIS QUAE SINT BARBARIES AC FERREA CORDA.
TERRA TIBI LEVIOR SIT QUAM PULVINUS HIC ATROX
QUI VOCEM EXTINXIT SUAVEM LACRIMASQUE REPRESSIT.

¹ Sémira Adamu, puella natione Nigeriana, viginti annos nata, a custodibus publicis suffocata est cum pulvino sive puluillo die 22 mensis Septembris anno 1998, in aeroplano quo ex aerioportu Bruxellensi iubebatur in Africam vi reduci. Ei erat in votis, cantrix fieri in Europa, ad quod alludunt verba «vox suavis».

UNIVERSI LATINISTAE VIVAM LATINITATEM CALLEANT !

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN



•Grammatica omnibus civibus usui est!•

•Immo grammatica nobis pernicipi est!•

(imago excerpta ex: Kallela-Paananen-Palmén,
Ad Fontes I. Tekstit-Kulttuuritausta, Helsinki 1985, p. 131)

Posterior pars acroaseos c.t. «Penitusne renovandae sunt rationes Latinitatis docendae?» in conventu didactico Montellensi 29.4.1998 factae paululum retractata.

In priore parte acroaseos meae conclusi eos, quibus hodiernarum linguarum studia academica exercentibus brevis tantum cursus Latinus obligatorius absolvendus est, nisi ultro huic linguae plus operae dare volunt, vivam et communicativam Latinitatem summum velut degustare posse; eos autem, qui non solum obligatoria examina absolvere, sed etiam veram peritiam Latinitatis assequi cupiunt, inde ab initio aliter doceri oportere. Equidem tales discipulos docens in singulis lectionibus denas fere minutas simplicibus colloquiis Latinis dedicabam. Ne id quidem facile erat; initio enim multi eorum tanta erant timiditate, ut prae metu errorum Latine os aperire vix auderent. Proficiscendum mihi erat ab exercitiis facillimis, qualia iam primis capitulis librorum *Ad fontes* sub titulo «Responde Latine» adiuncta sunt. Saepe etiam diversi generis iocis utebar, ut illi vanum metum Latine loquendi ponerent.

Sed ne grammaticam quidem neglegere poteram. Quod in universum ad grammaticam tractandam attinet, non possum consentire cum

iis, qui discipulorum in Latinitatem odium implacabile simpliciter grammaticae culpae tribuunt. Num isti serio credunt grammaticam ab institutione Latina omnino aboleri posse? Nimirum ea plena est labyrinthorum, qui praesertim tironibus tortuosi ac paene inextricabiles videntur, sed nullum est dubium, quin omnibus quamlibet linguam discere cupientibus aliquatenus grammaticae cognitione opus sit. Praeceptor et se ipsum et discipulos frustrabitur, si contenderit ullam linguam peregrinam obiter sine animi contentione disci posse. In Latinitate hoc significat discipulos necessario quarundam rerum et ad nomina et ad verba flectenda pertinentium peritos reddi oportere, itidemque necesse est, ut e.g. subiectum ab obiecto distinguere assuescant; alioquin numquam id consequi poterunt, ut ad textus expedite intellegendos perveniant. Verissimus amicus Latinitatis amat grammaticam «nocturna versare manu, versare diurna» (cf. Hor. *Ars poetica* 269). Praeceptoris est curare, ne ratio, qua grammaticam discipulis praebet, discendi studium iis auferat, idque optime contingit, si exercitia nec difficiliora nec facilia aequo sunt - atque diligenter ita praeparantur, ut singulis rebus percipiendis quam efficacissime inserviant. Id modo cavendum est, ne grammatica ipsa meta finalis institutionis fiat, sed instrumentum utile



maneat ad metam assequendam. Ne in grammatica quidem alienum est interdum ludorum et iocorum ope uti. Recentissimis annis numquam neglexi cantionem, cui titulus est «Emma», a me ipso Latine redditam (appendix, specimen I) discipulis - non modo Latinistis, sed etiam ceteris - praebere, quo efficacius formas et terminationes activi indicativi perfecti mentibus eorum inculcarem.

Qualia pensa ad grammaticam pertinentia discipulis Latinistis imposuerim, e specimine II appendicis apparet. Textu in Finnicum converso discipuli rogantur, ut ad ea, quae de eodem Latine quaeruntur, Latine respondeant. Materiam respondendi ex ipso textu facile inveniunt. Nonnumquam responsum iam paratum stat in textu, unde a discipulo arcessatur; e.g. ad primam quaestionem («Ex qua re apparet geminos filios inter se simillimos fuisse?») satis est respondere: «Ne a matre quidem facile internoscebantur». Plerumque tamen responsa sua attente ita accommodare debent, ut quaestiones iis logice excipiantur, e.g. ad quartam quaestionem («Quid fecit alius mercator...?») potius respondendum est: «Puerum Epidamnum transportavit» quam «Puer... Epidamnum transportatus erat», quod in textu legitur. Credo has quaestiones, quamquam non sunt difficiles, tamen in talem formam redactas esse, ut ad eas recte respondere nesciant nisi qui structuram periodi Latinae aliquatenus noverint.

In huius generis pensis operantes discipuli paullatim textum intentiore animo inspicere assuescebant simulque etiam viva Latinitate necnon grammatica se exercebant. Equidem, ne nimium grammaticae momentum tribuerem, monere solebam me iis ante omnia id explorare velle, utrum discipuli res ipsas quaesitas bene intellexissent necne; si Latine respondentes in grammatica paululum peccavissent, hoc ne nimis graviter ferrent.

Breviter attingo etiam fragmentum dialogi Erasimiani inter abbatem Antronium et mulierem doctam Magdaliā facti (specimen III): Textus excipitur periodis mancis, quae discipulis explendae sunt. In tertio tomo seriei *Ad fontes*, unde hoc fragmentum desumpsi (p. 194), omnia Finnice fiunt, quia ex alumnis gymnasiolorum perpauci sunt futuri Latinistae; sed nihil impedit, quin cives academici peculiariter Latinitati studentes idem Latine facere iubeantur, ac, si velint, etiam personale aliquid Latine addere - scilicet nisi lexica pervolutandi laborem nimis extimescunt.

Hoc specimen ad acroasim meam etiam tribus aliis de causis inclusi: 1) Splendidum est exemplar Latinitatis Erasimianae, quae novissimis demum decenniis debitam condicionem in nostra institutione Latina nacta est. 2) Hodie plures Latinistae sunt puellae et mulieres quam pueri et

virī. Olim bella «matribus detestata» (Hor. Carm. I 1,24-25) principalia argumenta textuum institutionis Latinae erant, sed paullatim ea alii et quidem iucundioribus argumentis iure cesserunt. Nec dubito, quin discipulas nostras de armorum antiquorum assiduo strepitu legere saepe pertaedeat; certe malunt noscere, iamne per Erasmus Roterodamum feminis aequae ac viris licuerit doctrinam assequi et mitras sacerdotum occupare. 3) Huius generis dialogus etiam in scaena comoediae loco agi potest, dummodo inter discipulos vel pauci reperiantur, qui histriones in scaenam prodire cupiant. Expertus scio, quanto plus timidus discipulus aut timida discipula sibi confidere incipiat, si vel semel in scaena palam alicuius personae partes prospere egit, et quotienscumque hoc Latine fit, viva Latinitas haud dubie novum amicum vel novam amicam sibi conciliat.

Nunc ea, quae de vivo sermone Latino in institutionem Latinam inducendo censeo, in pauca verba contraho: obligatorium eum decerni vix cuiquam posse, sed omnia experienda esse, ut quam plurimi prudenter alliciendo ad naturale quoddam studium vivae Latinitatis impellantur - praesertim qui magistri linguae Latinae fieri meditantur aut in Latinis investigationibus operantur. Verissime Gaius Licoppe in prima huius anni (sc. 1998) *Melissa* narravit in conventu consociationis «Euroclassicae» quosdam participes linguam neograecam ignorasse, alios quosdam esse se, ut acroases intellegerent, linguam Anglicam perdiscere debere, quod studiis «cararum nostrarum linguarum defunctarum» esset detrimento. Manifestum est tale ridiculum problema communicationis numquam oriturum fuisse, si ubique futuri praeceptores linguae Latinae atque omnino philologi classici iam ab initio vel mediocriter vivae Latinitatis usu assuefierent.

In fine acroaseos meae etiam de Latinitate in libris institutoriis adhibita nonnulla verba feci; sed ea hinc omitto satius existimans ad illud argumentum alias redire.

Denique breviter et concise respondere conor ad id, quod in titulo acroasis meae quaesivi: Penitusne renovandae sunt rationes Latinitatis docendae? Responsum ex eo pendet, quantum suas quisque docendi rationes tempore labente renovaverit. Ipse credo me annis saeculi nostri sexagesimis et septuagesimis et octogesimis et nonagesimis meas rationes docendi paullatim aliquantum renovavisse. Nihilominus etiam hodie, rude donatus, usque apertas praebeo aures omnibus consiliis, quae ad rem didacticam Latinam feliciter renovandam tendunt. Tribus rebus dixerim praeceptori Latinitatis necessario opus esse: scientia vivae Latinitatis et culturae Latinae, impetu quodam animi, lucida ratione. Simul autem

eadem fere verba addo, quae praeceptor meus academicus, professor Edwin Linkomies, quondam in alio conexu scripsit: Verus progressus fieri non poterit, nisi nimius animi impetus coercebitur et ratio una dux adhibebitur.

APPENDIX: TRIA SPECIMINA DIDACTICA

Specimen I: Emma

O memor es, Emma: lucente dum luna
choreis nos una revertimur,
tu fidem dedisti, per caelum iurasti
te meam futuram perpetuam.

O Emma, Emma, o Emma, Emma,
te meam futuram perpetuam.

Ad haec addidisti: «Iam caput deponas
in pectore meo tam fervido.

Tu me possedisti, possessa fuisti,
amoris furore flagravimus.

O Emma, Emma, o Emma, Emma,
amoris furore flagravimus.

Tibi credulus anulum dedi, iuravi
me tuum futurum perpetuum.

Tu me decepisti: de dono fecisti
auriculis decora pendula.

O Emma, Emma, o Emma, Emma,
auriculis decora pendula.

Latine reddidit Ericus Palmén

Exemplis lepidissimis opus est, ut taedium grammaticae discendae vitetur aut saltem minuatur. Equidem cantionem, cui titulus est «Emma», quondam Latine reddidi atque discipulis mandavi, ut folio bilingui usi, in quo iuxta textum Latinum etiam originalia verba Finnica essent, omnes formas perfecti indicativi activi in cantione occurrentes quaerent; quod illi libentissime fecerunt. Denique una voce Emmam cecinimus, quo efficacius terminationes peculiare singularum personarum mentibus eorum inculcarentur.

Specimen II: Converte in Finnicum:

Mercatori cuidam Syracusano gemini filii erant, qui ne a matre quidem facile internoscebantur; adeo inter se similes erant. Quodam die pater cum altero filio Tarentum navigavit. Sed hoc iter illi mercatori fuit perniciet. Puer enim Tarenti in multitudine hominum a patre aberravit, et hic, postquam eum frustra undique quaesivit, tandem desperans morbo implicitus est et paucis diebus post periit. Interim puer ab alio quodam mercatore Epidamnum transportatus erat. In hac deinde urbe adolevit. Postea ille puer, qui domi manserat, fratrem quaerere constituit et Epidamni eum repperit. Tum summa cum laetitia fratri narravit: «Ego non credebam te mortuum esse; cum servo igitur navem ascendi. Ac sexto anno, postquam Syracusis exieramus, forte huc Epidamnum advenimus.»

Responde Latine:

1. Ex qua re apparet geminos filios inter se simillimos fuisse?

2. Quis erat cum mercatore Syracusano, qui Tarentum navigavit?

3. Quo modo hoc iter illi mercatori fuit perniciet?

4. Quid fecit alius mercator, postquam repperit puerum, qui a patre aberraverat?

5. Postea plurimi credebant hunc puerum mortuum esse. Quis id non credebat?

6. Quid ille unus cum servo navem ascendens facere constituerat?

Specimen III: Colloquium abbatis et eruditae

Personae: Antronus (abbas), Magdalia (erudita)

Antronus: Ego sane nollem uxorem doctam.

Magdalia: At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam et illum mihi et me illi cariorem reddit eruditio.

Antronus: Nescio quomodo fit, ut quemadmodum clitellae non conveniunt bovi, ita nec litterae mulieri.

Magdalia: Atqui negare non potes, quin magis quadrent clitellae bovi, quam mitra asino aut sui. Quid sentis de virgine matre?

Antronus: Optime.

Magdalia: Nonne versabatur in libris?

Antronus: Versabatur; at non in istis.

Magdalia: Neque tamen usque adeo rarum est, quam tu putas: sunt in Hispania, sunt in Italia non paucae mulieres, adprime nobiles, quae cum quovis viro possint contendere; sunt in Anglia Moricae, sunt in Germania Bilibaldicae et Blaurericae. Quod nisi caveritis vos, res eo tandem evadet, ut nos praesideamus in scholis theologicis, ut contionemur in templis; occupabimus mitras vestras.

Antronus: Ista Deus avertat!

Infra quaedam ad colloquium abbatis et Magdaliae pertinentia scripta sunt - sed nusquam usque ad finem. Tuum est addenda addere. Licet tibi, si vis, etiam de tuo aliquid adicere.

1. Magdalia maritum suum magni aestimat, quod hic...

2. Antronus litteras mulieri non magis convenire censet quam...

3. Magdalia clitellas bovi magis quadrare existimat quam...

4. Antronus se scire credit virginem Mariam...

5. Magdalia monet inveniri mulieres doctas in multis terris Europae:...

6. Pro exemplis earum commemorat...

7. Praedicat Magdalia, nisi viri caverint, rem eo evasuram esse, ut...



DE MUNERIBUS SERVORUM (V)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

Honorio imperitante, V p.C.n. saeculo incipiente, captivi hostium non iam mittebantur sub iugum, latifundia ergo in maximis nunc erant difficultatibus servis deficientibus; systema oeconomicum ergo mutabatur: colonatus introducebatur, i.e. latifundia particulatim consecabantur ac singillatim locabantur colonis quorum condicio socialis servis erat similis, quia «glabrae astricti» erant, iis non licebat glabram deserere.

Talia et dominis et fisco magno erant emolumento: servi enim laborabant et pro dominis et pro fisco. Agebatur ergo de mutatione oeconomica maximi momenti: systema agrorum liberorum vergebat ad finem; exin operarii ibi glabrae laborabant astricti. Condiciones sociales eorum exinde pessimae erant propter obsequium, propter penuriam operariorum, propter dicionem, propter malam mercedem. Quo factum est, ut multi coloni conductionem persolvere non iam possent, ergo magis a dominis expilabantur; numerus effugientium crescebat, condicio socialis eorum similis erat servituti.

Colonus fugitivus vinciebatur, castigabatur, supplicium de eo sumi poterat. Nihilominus colonus statum socialem non amittebat; e glabra expelli non poterat. Conubium cum ancilla ei licebat, infantes statum socialem obtinebant parentum. Si pater erat colonus, mater autem serva, infantes sequebantur matrem. Nihilominus paulatim in dicionem ceciderunt servis simillimi. Pauperes eorum ad ruinas removendas advocabantur in urbes, alii rebellaverunt, glabram deseruerunt, in urbes concurrerunt consociationesque condiderunt subversivas, alii in montes se receperunt tamquam pastores aut piratae.

Colonatus nullo modo forma oeconomica erat progressiva, quia in praedio et coloni et servi suppressi vivebant in simili statu legali. Christiani magna voce fraternitatem postulabant, sed servitutem non abolebant, potius multos adhibebant servos suo lucro. Nihilominus decursu annorum multa mutabantur imperatoribus curantibus. Abhinc:

- non iam licebat domino servo virilitatem excidere;
- domino non iam erat vis vitae necisque;

- caedes servi homicidium habebatur;
- vexationes corporales interdicebantur;
- stigmata inusta servorum ad ludum condemnatorum interdicebantur;
- Constantinus gladiaturas interdixit.

At valebat interdictio iunctionis feminae ingenuae et servi.

Eratne systema colonatus productivius quam systema servitute nitens? Responsum: illud primum systema - latifundiorum - melius fuisse videtur. Concedimus: latifundiorum parva efficientia et productivitas causae erant stagnationis rerum oeconomicarum. Servi impedimenta erant profectus. Nihilominus mercenariis - quos patroni latifundiorum asciscebant operariis deficientibus - servi erant acceptiores, quia semper erant ad manum et minus constabant.

TERRA SIGILLATA: ASCENSUS SOCIALIS

Vasa terrae sigillatae «Meissen» sive «Sèvres» vocantur antiquitatis propter eximiam pulchritudinem formarum et ornamentorum. Terrae sigillatae notio Romanis non erat nota, saeculo praeterito inventa est a quodam viro Francogallo.

Prima talia vasa Arretii sunt confecta, ubi usque ad annum a.C.n. 50 vasa nigra producebantur, illa «merx campana» quae vocatur; inde ab anno 50 a.C.n. usque ad annum 50 p.C.n. illa terra sigillata «rubra inexornata» fingebatur; decursu temporum vasa «exornata» quoque ibi conficiebantur, i.e. vasa quorum paries exterior imaginibus appressis est ornatus. ☛



(continuabitur)

LATINE LOQUI ...

☞ *Seminaria Latina*

In seminariis Societatis Latinae participes singillatim inducuntur, ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr Caelestis Eichenseer, qui iam ab anno 1973 talia seminaria suscepit prosperrime moderanda. Cum ipso iam ex anno 1986 cooperari solet D.rix Sigrides Albert, quae tirones delectabiliter in consuetudinem Latine loquendi inducit.

In Belgica

7-14 m. Augusti a. 1999 Brugis in urbe pulcherrima, veterrima, historica, quae vocatur «Venetiae septentrionales». Nobis praebebitur locus media in vetere urbe situs, sed tamen remotus a turba periegetarum, iuxta tranquillum euripum (vide imaginem).



Scribatis ad: Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles

In Helvetia

25-31 m. Iulii a. 1999 Morsaci supra lacum «Quattuor regionum».

Scribatis ad: Societatem Latinam, Universität - FR 6.3, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

☞ *Duo Conventicula Latina in America*

Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiler Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. Conventicula ludimagistris, professoribus, omnibus, qui aliquam Latine sermocinandi et disputandi facultatem consequi cupiant, magno erunt subsidio et emolumento.

23-31 m. Mai et 23-31 m. Iulii a. 1999 Lexingtoniae in civitate Kentuckia.

Scribatis ad: Terentium Tunberg, Department Class. Languages, 1015 Patterson Office Tower, University of Kentucky, Lexington KY - USA (clatot@pop.uky.edu)

☞ *Feriae Latinae*

Feriae Latinae, quae ab anno 1987 Nicaeae celebratae sunt, hoc anno in abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis habebuntur. Illa abbatia in Provinciae parte maxime Romana sita est, inter urbes Avennonem, Tarasconem, Arelate, Cabellionem. **17 - 24 m. Augusti a. 1999.**

Scribatis ad: Clementem Desessard, Résidence des Collines C9, 500 rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu - vel ad: Iohannem Claudium Champeau, 121 chemin des Moulins sup., F-06510 Gattières.

☞ *Conventiculum Latinum de orbe Novo*

26 m. Iunii - 2 m. Iulii a. 1999 in pago Californiano «Oceanside». Ibi in hortis atrisque suavissimis veteris villae rusticae et ecclesiae Sancti Ludovici Regis optima quaedam Latinitatis Novis Orbis scripta (Sepulveda, Vera Cruz...) legentur et Latine tractabuntur.

Scribatis ad: Annulam Llewellyn Menn, UCLA Classics Department, Los Angeles CA 90095-1417 (nel@latin.org)

☞ *Symposium Latinum*

Hoc symposium fiet inter sessionem Academiae scientiarum internationalis Sanmarinensis atque dicabitur themati, quod est «Lingua Latina - lingua interdisciplinaris».

30 m. Augusti - 2 m. Septembris a. 1999 Arimini in Italia

Si quis vult sive participare sive acroasin facere, scribat ad: Veram Barandovská-Frank, Kleinenberger Weg 16, D-33100 Paderborn (telecop. +49 5251 163533)